



# NECROLOGIA



† R. P. Iosephus Sandbothe (1877–1936)

(*Vice-Prov. Argentinae*)



Dominica in Albis a. c., qua Dominica ante 46 annos primam suam communionem in patria receperat, eadem ipse sibi ultimam in Missa celebranda dedit communionem, ignorans tamen esse suum Viaticum, dilectus confrater, cuius memoriam his paginis perennare velimus. P. Sandbothe hoc tempore erat Bonis Auris Consultor Pl. R. Patris Vice-Provincialis, quo propter Capitulum generale absente ipse eius vices gerebat, et illo die 19 Aprilis 1936 nobis eruptus est morte subitanea, quae ita accidit:

Confrater noster, iam diu pressione sanguinis nimis alta laborans, mane cum communitate lecto surrexit, meditationem fecit, postea primum in sacro tribunali et h. 6  $\frac{1}{2}$  ad altare sacerdotali munere functus est. Circa h. 8 iterum ad confessiones excipiendas rediit. Brevi post h. 9 se contulit ad stationem radiophonicam *Porteña*, ut ad catholicos Germanos reipublicae Argentinae solitam haberet brevem contentionem. Attamen, invitatus ad microphonum accedere, ait sese valde male se habere et manuscriptum alteri legendum tradidit. Extemplo totum corpus tegi sudore frigido et abundanti. Ipse sui conscientiam mox amittere. Portatus ad « Assistentiam Publicam », subiicitur variis curis, sed incassum. Accurrit cum olio infirmorum Rector domus Bonaërensis, telephono adscitus, et Sacramentum Misericordiae sensibus destituto et animam iam agenti administrat. Paulo ante h. 11 inexorabilis mors hanc vitam permultis caram extinguit.

Iosephus Sandbothe natus est in Bergeborbeck, quod oppidum hodie ad magnam Rhenaniae civitatem Essen pertinet, die 12 Nov. 1877. Loci parochus, nomine Erdweg, erat sacerdos vere sanctus et insignis Congregationis amicus, qui complures pueros solidae vocationis signa praferentes ad iuvenatum Provinciae Germaniae Inferioris misit. Eorum unus fuit Iosephus noster, qui d. 2 Maii 1892 Vaalsii Collegium Iosephinum ingressus est, sapientis Directoris munere fungente R. P. Matthia Arenth. Nos, qui per multos annos Iosephi convictu fruiti sumus, huius optimi commilitonis semper cum gaudio recordabimur; erat enim sodalis et frater amantissimus cunctisque amatus. Quam gratus et iucundus eius in conversatione sermo, vividis eventuum narrationibus et innumeris poetarum dictis conditus!

Exactis Vaalsii sex annis cum dimidio, annum probationis Epternaci (*Echternach* — quae domus tum ad Provinciam supra dictam pertinebat) in sancto fervore sanctaque laetitia transegit, Magistro P. Christiano Schleemann, Magistri Socio P. Clemente Brühl, nunquam non hilari et faceto, atque festo Exaltationis S. Crucis a. 1899 vota nuncupavit.

Altiorum studiorum quadriennium Augustae Trevirorum ultimumque biennium in novo collegio Geistingen prope Coloniam ad Sigam amoenisime sito perfecit. Ibi in ecclesia nova vixdum absoluta festo S. Matthaei Ap. a. 1904 per Eñum Antonium Cardinalem Fischer indeleibilem sacerdotii caracterem in anima recepit. Postero die, cum augustissimi Sacrificii primitias Deo offerens in Missae Epistola et Evangelio multa de rebus adversis sustinendis legisset, id sibi peculiariter dictum esse existimavit. Revera Crucis sigillum vitae eius in sequenti prorsus non defuit.

Studentatu absoluto P. Sandbothe transmarinas ad *La Plata* flumen plagas petere iussus est. Cuius sacrificii magnitudo inde confratri multum augebatur, quod patria lingua, sive soluto sive versibus adstricto sermone, arte haud communi utebatur, dum aliena lingua utens dotes facundiae ac poeseos a Creatore receptas multifariam ligatas videbat. Nihilominus usque ad ultimum halitum in vinea sibi per oboedientiam adsignata fideliter laboravit, semel tantum paucis abhinc annis ad breve tempus in patriam reversus.

Recepit autem primum apostolatus campum in septentrionali republika Argentina, adscriptus collegio Saltensi. Inde quotannis per ternos fere menses cum R. P. Lorber «cappellaniam», vulgo *Puna de Acatama*, in Andium territorio sitam lustrabat. Ne tamen putaveris hic agi de cappellania Europea! Indiani enim vastam<sup>\*</sup> illam regionem incolentes ope spirituali vel magis quam divitiis temporalibus destituti sunt. Annales Provinciae de excursione apostolica per PP. Lorber et Sandbothe a Kal. Dec. 1906 ad 10 Febr. 1907 peracta ita loquuntur:

\* Labor iste, quamvis missionis (stricte dictae) nomine designari nequeat, tamen omnino secundum mentem S. Parentis nostri Alfonsi susceptus esse dicendus est. Gens enim ista, defectu sacerdotum exiguis tantum religionis notitiis imbuta, animabus vere derelictis adnumeranda est. Incolae inter montes vitam solitariam degentes perraro ad vicos aut pagos descendunt, ut tempore, quo sacerdos in eorum regione commoratur. Cum igitur inculti sint, facile intelligitur eos erroribus moralibus obnoxios esse, ut v. g. putent fornicationem cum promissione matrimonii non esse peccatum. Missionarios summa veneratione reverentur ut Dei ministros. *Cum Deo et die* laborare oportet, ut aliquid fructus appareat. Animadverti iuvat Patres saepius auctoritate apostolica instructos esse sacramentum confirmationis dispensandi. Loci, ad quos incolae salutis cupidi ad missionarios convolarunt, sunt: *Autofagasta, Pastos grandes, San Antonio, Sey, Susques, Coranzuli*. Baptismi 83, confirmationes 279, communiones 739, matrimonia 25 »<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> *Litterae Annales Provinciae Germ. Inf. a. 1907*, p. 50 sq.; cfr. etiam *Los Redentoristas... en los Paises del Rio de la Plata*, Buenos Aires 1932, p. 110.

P. Sandbothe eodem tempore, quo Saltae stetit, etiam multas missiones proprie dictas praedicavit et domi in sacro ministerio tantum perfecit, ut hodiecum eius memoria ibidem in benedictione sit. Attamen molestiae, privationes laboresque illorum primorum annorum valetudini eius damnum notabile attulere et dubio procul vitae terrestris cursum imminuere. A. 1912 translatus in reipublicae urbem principem, praefuit Bonis Auris operario-rum catholicorum societati a R. P. Grote fundatae et paulo post ipse primam societatem similem studentium Universitatis condidit, quae ipso moderatore usque ad 400 sodales crevit.

Triennio 1921-1924 collegii Montisvideani Rector fuit et postea iterum communitatis Bonaërensis membrum, Consultor vel P. Rectoris vel P. Vice-Principalis, ibi quoque affabilitate sua et sincera bonitate amicos plurimos sibi comparans. Id nova evidentia manifestabatur (ne longi simus) in Patris Sandbothe morte quasi fulminea. Inter primos, qui super exanimum Patris corpum orationis balsamum spargerent, primus reipublicae Argentinae Purpuratus Pater fuit, Eñus Archiepiscopus Copello, eiusque Auxiliaris Exñus D. Fortunatus Devoto ac varii alii Praelati urbis. Sacerdos J. B. Lertora in actis diurnis *El Pueblo*, item a P. Grote olim fundatis, mox amico suo columnas affectus plenas dedicavit, ita necrologium finiens: « Requiesce in pace, Pater Iosephe! Vivorum mundum reliquisti post certamen innumeris praedis opimum. Quodsi iam meruisti intrare in gaudium Domini tui, pro nobis ora, qui te amavimus neque unquam tui obliviscemur ».